

Cicerone in *Tuscul.* *Quæst.* subit mirari : cur cum constemus ex animo & corpore, corporis curandi tuendique causa quæsita sit ars ejus atque utilitas, Deorum immortalium inventioni consecrata : animi autem medicina nec tam desiderata sit ante , quam inventa, nec tam culta , posteaquam cognita est, nec tam multis grata & probata, pluribus etiam suspecta & invisa ? donec tandem Socrates, qui intelligentissimorum sui temporis hominum consente nte judicio , sapientissimus omnium mortalium habitus est , relictis subtilioribus contemplationibus , de vita & moribus tam solicite philosophari cœpit, ut quæ supra nos sunt , nihil ad nos pertinere identidem asseveraret: qua de causa Philosophiam de cælo devocasse , hoc est, quemadmodum Varro apud Ciceronem *Acad.* *Quæst. Lib. I.* exponit, a rebus occultis , & ab ipsa natura involutis , ad vitam communem adduxisse ferebatur. Hunc Socratem fecutus post Platonis obitum Aristoteles , qui suscep ta in Lyceo docendi provincia, cœpit bene ab aliis dicta discipulis suis certa methodo proponere , Philosophiam in eo demum collocans, ut quæcumque præcepta damus , ea ex principiis suis solide demonstremus. Idque præstit inter alia in sapientia , quæ ad agendum spectat , & in tres partes di stributa est , in eam quæ facit ut privatim , ut in familiis , ut in civitatibus denique summum bonum consequi possimus. In illis in primis , quæ ad mores singulorum pertinent, adeo elaboravit Philosophus, ut non unum , sed tria scribenda censuerit opera , quo-

*Aristotelis
Magnam o-
ratia, Ende-
mia mora-
lia, & Ni-
comachia
moralia.*